Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36449
Copyright: Melk, Benediktinerstift

presentati fuissent. sic aggreditur eos dicens: Et uos stulti desideratis perire? Ecce commoneo uos. sacrificate diis inmortalibus. Respondens parmenius presbiter cepit uoce clara clamare dicens: O miser homo: manufactis idolis nos compellis humiliari? Infelix humiliare te debes christo creatori omnium rerum non manufactis: nam pro ipsis tu et omnes dii tui tecum quos iniuste colis. Tunc decius iussit omnes in eculeo suspendi. Qui cum attraherentur neruis. ceperunt omnes gratias agere deo. et dicere ad parmenium presbiterum. Orationem da super nos. Respondit parmenius: Det nobis deus per dominum nostrum iesum christum consolationem spiritus sancti qui regnat in secula seculorum. Et responderunt omnes Amen. Tunc decius iratus dixit: O argumentum hominum: sine lingua loqui magica ars cognoscitur. Respondit parmenius dixit: Dominus noster ihesus christus qui mutum loqui fecit. ipse dedit mihi sine lingua loqui. Nam dum tu loqueris obmutescis. Eadem hora decius iussit eos ignibus uri. Qui dum urerentur. audita est uox de celo dicens: Venite ad me humiles corde. Decius dixit. Vere magica ars est ista. Et iussit laminas ardentes circa latera eorum poni. et ungulis lacerari. Eadem hora iussit deponi eos decius de eculeo. et precepit ut decollarentur. Qui postquam decollati sunt. iactauerunt corpora eorum in publica uia: ita ut custodirentur: nequis eorum corpora sepeliret. Explicit

xviii k(alendas) May

Ex Greg. Turonens. lib: Vit. Patr. cap. 8.

Resencie Vita Nicecii Lugduinensis episcopi

Preclarum. quod plerumque regno suo prouideat. quod ad celestia. ipsa sepius sacre lectionis testantur oracula: sicut ad ieremiam eximium uatem celestis oris misti ca deferuntur eloquia dicentis: Priusquam te formarem in utero noui te: et antequam exires de uulua sanctificaui te. Et ipse dominus utriusque conditor testamenti. cum illos quos largitor hilaris agneo decoratos uellere suis locat a dextris. quid ait? Venite benedicti patris mei. percipite regnum uobis preparatum a constitutione mundi. Sed et ille uas electionis beatus apostolus: quos inquit presciuit et predestinauit. conformes fieri imaginis filii sui. Nam et de ysaac et iohanne qualiter nascerentur uel quid agerent. et nomen et opus predixit et meritum. Sic nunc et de beato nicecio ipsa illa prescia misericordia pietatis que inmerita ditat non nata sanctificat: et omnia priusquam gignantur et disponit et ordinat. qualibus sacerdotalis gratie insulis floreat in terris: prius gemitricis uoluit reuelare. decursus uita retinetur. quidem exinde libellus nobiscum. nescio a quo compositus. qui multas quidem uirtutes eius pandit. non tamen uel exordium natiuitatis et conuersionis que eius uel seriem uirtutum declarat ad liquidum. Et licet nec nos omnes eius uirtutes inuestigauimus: quas per eum dominus uel occulte operari est dignatus. uel publice: tamen que ad priorem auctorem non peruenerunt: et si rusticiori stilo pandere peruamumus.

Igitur florentinus quidam ex senatoribus accepta artemia coniuge: cum duos iam haberet liberos. ad episcopatum ianuensis urbis expetebatur: et re iam obtenta cum principe ad domum reuertitur: coniugique que egerat nuncians. Quod illa audiens respondit uiro. Desine quaeso dulcissime coniunx ab hac causa: et ne queras episcopatum urbis. quia ego ex concepto a te sumpto episcopum gero in utero. Requieuit sapiens uir audita uxore. rememorans illud. quod uox diuina quondam in principio